



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Sylvester Papa. 31. Decembr.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

S. SYLVESTER Papa.

31. Decembr.

Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, de reliquo reposita est mihi corona justitia. S. Paul. 2 ad Tim. 4

PAtria Sylvestro Roma, Romæ, hoc est patriæ pater ipse Sylvester fuit. Hoc tamen orbare Romam Urbis probrum Tarquinius voluit. Sed Sylvester ad tribunal citatus novo more mortem ludici reus indixit. Dicitum, factum, piscem dum cœnat, os fortè ex hoc gutture receptum Tarquinius hamum mortis esse sentit. Post hæc dum Constantinus remissius rem Christianam curat & sopitæ nuper iterum in pios persecutiones recrudescunt, Exul Sylvester montem Soracten insidet; Impietatis foeditatem ut videret Imperator, leprâ inficitur. Sacrificuli, lepram ut abluat, balneas è parvulorum sanguine suadent. Ingemuere ad consilium impium omnes Romanæ Matres, cum audirent sanguini, quo vel manum aspergere scelus semper non expiandum habitum est, totum velle Imperatorem

rem

rem innatare; Certè innatare rectius tot matrum lacrimis jam poterat. Et verò ejulatus & comploratio totà urbe facta aures Imperatoris exoravit, factique poenitens censuit ipse hoc quoque ingens scelus esse, facere scelus voluisse. Interea Principum Apostolorum species dormienti oblata vocare Sylvestrum jussit, qui sanctiores illi thermas ostenderet. Vocavit, & Christianis undis lotus lepram corporis animiq; exuit. Triumphum Sylvestro mortuo Anno CCC. XXXV. Coelum descrevit. *Ex Baron.*

MEDITATIO.

Tres reflectiones supra annum exeuntem.

1. **P**Otes ne dicere cum veritate, sicut S. Paulus? Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: Ecce! pervenisti ad finem anni, percurrere animo omnia bona & mala, quæ hoc anno fecisti, & vide, utrum malæ actiones superent bonas.

2. Ubi nunc sunt voluptates & honores, quibus hoc anno fruebaris? transiére omnia, & nihil superest præter tristem memoriam de offenso Deo. Nonne è contrario verum est? percipere te gaudium ineffabile, si consideras paucula illa bona, quæ pro Deo fecisti, sicut

sicut annus iste, ita tua vita, præteribunt, eritque u-
nica consolatio, quæ tibi ad finem vitæ remanebit,
quòd Deo serviéris.

3. Si mortuus esses hoc anno in statu peccati mor-
talis, in quo fortè fuisti, ubi nunc esses? Deus tibi in-
dulsit tempus ad faciendam pœnitentiam; illo melius
utere in futurum, quàm hucusque factum. Fortassis
hic erit postremus annus tuæ vitæ. *Latet ultimus dies,
ut observentur omnes dies.* S. Aug. Observabit
autem, qui perseveraverit in gratia
Dei semper.



INDEX